

oportet itaque, ut in stomacho suum officium peragat, administretque; illicò nempe ibi cognoscitur à prudenti molli igne, ut gratus hospes in hoc casu, cujus ignis ope lapidis divinum festinat ad individui conservationem, quod postea lubens amplectitur natura, ut quid sibi conveniens & concordans. Sic etiam dens apri pulverisatus, & per os assumptus pleuriticos mirè sublevat: idem præstat & hirci sanguis, ut & tauri vel cervi priapus carptus vel pulverisatus; quæ omnia ferè sunt insipida; non ideo quòd pleurà sit amica priapo, ut quidam censent; ad pleuræ enim membranam priapus non admittitur: sed argutus prudensque iudex in stomacho sedens ejusmodi appropriata medicamina cognoscit, eaque amplectitur, dirigitque, ut furiosum acidum invisibilis mollis ignis radium dissolutum & putrefactivum coagulent, transnutent, contemperent, dulcificent, permisceant, atque per urinam tandem educant. Vid. *Ottonis Tachenii Tr. de Morbor. Principe cap. 9. pag. 125. 126. & 127.*

### C A P U T XXVI.

*Solius Cinnabaris Mineralis preparata usum, nec alia medicamenta Spagyrica ex ea esse paranda suadet.*

**S**implicitatem amat natura: hoc deprehendimus certum in Cinnabari nostra minerali, ubi melius salutaris que judicamus eam saltem præparatam usurpare, quam spiritum, tincturam, elixir, crocum, flores, magisterium, &c. ex ea spagyricè prolicere, istaque ægris infelici sæpè cum successu exhibe-



hibere, sicut non pauci faciunt, qui ex uno medicamento simplici, minerali, animali aut vegetabili tot medicamina spagyrica ex cerebro suo fingunt, quot dies sunt in anno. Nobis sanè ex arte Chymica non erit difficile ex ea quoque varia medicamina sub variis formis parare; nec nobis ignotum erit Cinnabarin vario modo divellere & alterare; principia ejus,  $\text{S}$ ur &  $\text{S}$ rium per menstrua corrosiva discontinuare, separare, ac iterum unire; verùm nobis semper cum accuratioribus Chymicis ac Medicis unica Cinnabaris mineralis præparata placuit, quæ tantas in innumeris verè morbis profligandis præstitit vires, ut eam in alias formas transmutare non desideraverimus, præsertim cùm nos non lateat, quod hujus virtus, si manere debet integra, per partium ejus  $\text{S}$ rearum &  $\text{S}$ rialium separationem, ut & per acida & alcalia factam inversionem destrui non debeat. Cum enim Cinnabaris nativa omnem digestionum ventriculi ac intestinorum actionem subterfugiat, ut in corporis nostri œconomiam distribui nequeat, sed vel odore tenus, aut nudo saltem aspectu varieque mireq; nostrum alteret Archeum, non est, ut per artem spagyricam nimium à nativa sua abducamus indole, vel per naturam unita & conjuncta separemus, dum acidorum abstractione tam alteratur, quam intervertitur ejus virtus. Neque  $\text{S}$ rea ejus pars per alcalia digerenda, nec per principiorum suorum dissolutionem in Præcipitatum Diaphoreticum redigenda.